

Gottlob Friedrich Seligmann


**Rector Academiae Rostochiensis, Gottlob Friedecus Seligmann/ Metaph. & Phys. Prof. ... Ad frequentandas ex merito Exequias ... Margaretae, natae Meviae, Coniugi ... Desideratissimae, Una cum recens-nata Filiola, Anna Abs Moestissimo Viduo & Patre, Viro ... Jacobo Lembken/ U.I.D. & Antecessore huius Academ. ... paratas, Omnium Ordinum ac Dignitatum Cives Academicos ... vocat atq[ue] excitat**

Rostochii: Weplingius, [1684]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770472370>

Druck Freier  Zugang





C. D!  
**RECTOR**  
 ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS;  
**GOTTLOBFRIEDE-**  
**RICUS Seligmann /**

Metaph. & Phys. Prof. Facult. Philos. Decan. Templi Cathedr.  
 Archidiac. & ap. Lipsiens. adhuc Ducalis Collegiatus,  
*Ad frequentandas ex merito*

**EXEQVIAS,**

*Nobilissima Excellentissimaque Femina,*

**MARGARETÆ,**  
 natæ **MEVIÆ,**

CONJUGI nunc eheu! Desideratissima,  
*Una cum recens-natâ FILIOLA,*

**A N N A**

Abi Mœstissimo **VIDUO & PATRE,**

**VIRO** Nobilissimo, Amplissimo Consultissimoque  
**DN.**

**JACOBO Lemcken /**

U. J. D. & Antecessore hujus Academ. celeberrimo,  
 Fautore, Collega & Amico N. honoratissimo,  
 piè solenniterq; paratas,

*Omnium Ordinum ac Dignitatum CIVES ACADEMICOS officiosissime  
 humanissimeq; vocat atq; excitat.*

**ROSTOCHII,**

**LITERIS JOHANNIS WESPLINGI, UNIV. TYPOGR.**

*FP Lemcke, Margareta 1684*



QUANTUM hodie FU-  
NUS indicimus, CIVES  
honoratissimi; quantas  
Exequias Vestra coho-  
nestari praesentia expe-  
rimus! Obijt CONJUX  
Mœstissimi nunc eheu!  
MARITI fidissima ha-  
ctenus ac amœnissima.  
Discessit MATER novæ SOBOLIS, paulò ante  
natæ, renatæ, denatæ. Geminae spem lætitiæ  
gemina interceptit jactura, geminum excepit  
cum luctu desiderium. Vita, quæ danda  
erat alteri, erepta prohi utriqve est. Mira fa-  
ta! Mira vices ac sortes rerum! Ingre dimini me-  
cum, CIVES, doloris Theatrum; discens  
quam attingua sit summæ felicitati summa infe-  
licitas, expectato gaudio inexpectata tristitia.  
Vix superstes ineluctabili damno MARITUS,  
PATER. Quæ parere novum DOMUI IN-  
CLUTÆ augmentum debuit, quid nisi lacru-  
mas,

mas heu ! peperit, dum partem amplissimam  
IPSA, nec sola, cadens id imminuit, quod am-  
plificandum erat. Subit mentem quando hæc  
meditor, triste VÆ, quod PARTURIENTI-  
BUS præfagiit SALVATOR Ter OPTIMUS.  
Novi, non imprecantis, ut Tertullianus matrî-  
monio minus favens opinatur, sed condolen-  
tis esse: durum tamen ac lamentabile (*conf.*  
*Chrysoft. in h. l.*). Scilicet, non sufficiunt semper  
multiplicando multiplicati dolores, quos in-  
euntibus Conjugium supremus rerum Dire-  
ctor intimavit. Est, præter infinita alia, sub  
quibus gemunt, mors Iplis vicina nimis & non  
rurò anxia nimis. Hinc fors dura, misera, quam  
rectè qui ponderat, si illa insequatur, quî pos-  
sit sibi abs cumulatis temperare lacrumis? Ma-  
luit ter in acie stare, quàm semel pàrere Euri-  
pidæa illa. quod an abs foeminâ rectè dictum  
s. l. linquo. Ceterum, quæ ipsam moverint, ut  
istud mallet, in proclivi est, judicare. Do-  
lores terruerunt etiam generosam hanc, qui  
superior. sec. Ann. XLIX. aliquam nimis pu-  
fillaninem. (ceu refert ex Titio Ernstius in *De-  
lit. Animi Colloq. XVI*) eò adegerunt, ut an-  
tequam adessent, quod crederet intolerabiles,  
se interfecerit. Jam quid de morte dicendum?

A 3

quam

quam inter & parturientem parum sapissime  
interest. Loquantur Julix, Habelix, Mariæ  
aliaque ex illustrium numero historicis me-  
morata (vid. Id. Ernst. c. 1.), laboribus tantis ac-  
celeratam sibi mortem, ac proin tristem satis  
parturientium fortunam loquentur. Digna  
sunt, quæ huc transferibam Gramondi illa  
(quæ habet l. 16. p. 723.) *Mortalia explet Maria  
Mompensera, Gastonis uxor, cui in excidium  
vertit fecunditas, post novem menses, ex quò  
nupserat, Mater est: exultat aula omnis in spem  
regii seminis propagandi. Est breve gaudium,  
fœtus edito clauditur vulva secundinasque retinet,  
donec quinto post partum die, tabo & fœtore, ex-  
tingveretur mater. En Casum, ad quem, ut  
in epitaphio (p. 7. 25.) extat, heberent sensus,  
quin ipsa Mors emitteret lacrimas, si haberet  
oculos, unde fluerent. Testamini, qui hæc legi-  
tis, suspiriis pietatem, votis reverentiam, pre-  
cibus amorem. Testamini Dolorem ve-  
strum, utque satis testemini, largis Dolentes im-  
bribus rigate tam infeliciter parturientium  
memoriam! At Sancte Deus (ad Te abs  
hæc dolorum inopinæve mortis tristi contem-  
platione convertimur) Tuam quæ fieri per bo-  
nitatem potest, ut sustollantur e vivorum me-  
dio*

dio, qui vitam quò largiri possent aliis, Tuæ senserunt  
Benedictionis gratiam? Lex (*Deut. XXII, 6.*) imperat di-  
missionem Matris, si pulli auferantur. Tu verò aliam ser-  
vas in ser Tuos rationem, DEUS Optime, qui cum proge-  
nerata filiâ progenerantem matrem abire hinc jubes, ac  
vim mortis experiri eas, in quibus vitam spectare deside-  
rando omnes desiderant. Sic loquimur, dum carnem se-  
quimur, quam fugiunt, quæ DEI sunt: sed sic audimus  
quoque ab Apostolo reponi nobis (*Rom. XI, 20*): *O bo-  
mo, Tu quis es, qui ex aduerso responde s DEO?* Habet,  
cur tristissima hæc, uti Lutherus (*Comment. in c. XII. Ge-  
nes.*) vocat, spectacula nobis ob oculos ponat, causam  
non unam sanctissimum Numen. Admonet suæ nos  
justitiæ, & in viridi ligno observari abs nobis non nun-  
quam vult, quæ fieri tandem, virescere si noliat, aridis  
debeant (*Luc. XXIII, 31*). Ducit in suam tam potenti ma-  
nû sapientiam, ut nostras divinæ voluntati mentes sub-  
jicere discamus. Demonstrat sese vitæ nostræ Arbitrum,  
atque hinc VÆ, VÆ immittit triste parturientibus. Fas  
igitur quidem æquumque est, ut lacrimas fundamus;  
sed fas quoque æquumque est, ut medios inter fletus, me-  
dia inter suspiria ad eum, cujus nutu hæsiunt omnia,  
submissè respiciamus. Redeo ad Monpensieriam, quæ  
moritura compellasse fertur maritum in ea verba (*vid.  
allegat. Gram. p. 723*): *DEI beneficium esse, quod primâ ju-  
ventâ solvat natura debitum; innocentius morituram, quo-  
citiùs; neque sibi feralem esse aspectum mortis, nisi, quod  
à Viro disjunctatur, quem supra vitam amet. Opus est  
DEI separantis, qui junxerat: laudandum Autorem, quò  
omnia pro destinatione suâ disponat in melius: coleret, ve-  
neraretur, amaret hunc Deum. Vix poterant pia magis dici,  
vix gratiora tristissimis mariti auribus infusurrari. DEUS  
DEUS.*

DEUS est, qui mori jubet homines, qui faciet quondam  
ut iidem revertantur in vitam, Atque in hujus nutu cura-  
tius considerando si hæreamus paulo, mutari videmus  
VÆ durum atque lamentabile in MAGNUM de singu-  
lari felicitate PRÆCONIUM. VÆ illud corpus attingit;  
mentem non macerat; urpote inter intensissimos  
quoque dolores in Deo quiescentem. Nec mortem  
comitatur, quæ benè potius ut sit, post acre satis certa-  
men, animæ, æternumque valeat hæc, suo accessu curat.  
VÆ parturientibus, nī sciant, quò se recipiant, quem ha-  
beant summa in anxietate inque ipso mortis confinio  
solamen ac tutamen Optimum, certissimum. In Deo  
quæ sustinent, immissa abs DEO, quicquid ingruit ma-  
lorum, vix ac ne vix advertunt quidem, ac si advertunt,  
divinitus corroboratæ superant fortissimè. Dixerim  
ferè hic (ceteris paribus) evenire, quod aliàs Pancaulus,  
in Inscriptiones Thesauri argutissimi commentatus non-  
nulla, de Caroli Emanuelis Sabaudi matre refert, pro  
Ipsâ parturiente Sacram quandam Vercellensis Cœnobii  
Vestalem dolores sibi devovisse; quæ res mira aliàs &  
supra fidem ferè: DEO tamen dolores minuere vo-  
lenti quid impossibile? is præsentissima quævis infortu-  
nia, dum mentem tranquillat, lenire eò valet, ut pe-  
nè non adesse videantur. Eò majus ergo hodiè FUNUS  
indicimus, eò præstantiores Exequias frequentari cu-  
pimus, quò certius dolor omnis beatè FUNCTÆ à Deo  
in gaudium permutatus, quò verius PARTUS per mor-  
tem citissimè Baptismum subsequatam eò tralatus est, u-  
bi VÆ non amplius, sed interminabilis usque felici-  
tas. Sed enim, sic malè quidem cum iis, quæ excess-  
sere hinc, actum non est; at TE quod spectat, VIDUE mœ-  
stissime, Tuo condolere infortunio, plusquam gemi-  
no, quis

no quis nostrum neget? Tu perpetuo TUÆ CONJUGIS, TUÆ FILIOLÆ, desiderio nunc heu! damnatus vivis; id certe Cor non tantum Tuum sed nostra quoque omnium pectora ferit & angit quam maxime. Neque tamen desunt, quæ Tuo vulneri *συνπιθήσια* nostra nos suppeditare medicamina docet. Lego in funere GEIERIÆ, PRIMÆ Consummatissimi dum viveret Theologi, nunc Beatissimi, GEIERI UXORIS (A. 1654. *Lipif.*) abs Celeberrimo non minus, ac jam per plures annos etiam in *ἀγῶνι* Theologo, CARPZOVIO, materiam concionis funebris factam fuisse (*videatur ipsa Typis excusa*) IDEAM MARITI UXORE ORBATI; inque eam ad diem Nuptiarum, ad diem mortis, & ad diem sepulturæ LUGENTEM VIDUUM ablegari, observo. Licebit eadem nunc mihi vestigia premere; quod & historiam, in Domino FUNCTÆ delineare & ex eâ, quæ in solatium cedant, excerpere commodius possim. Reduco proinde & TE, VIR Consultissime Nobilissimeque, JCTe & Antecessor Inclute, Collega honoratissime, ante omnia ad DIEM Nuptiarum, inque eam junctam Tibi, per singulare DEI beneficium, MEVIAM sisto præsen, toque sic verò de stemmate primum erimus solliciti, de quò elegantissime non ita pridem scriptum, *manere decus ejus mansurumque esse in animis hominum, in aternitate temporum, fama rerum.* Ut igitur ab iis ordiamur, quibus hanc lucem ipsa debet, illustre Nomen est, ac undiqueque celebratissimum Generosi & Magnifici VIRI, DN. DAVIDIS MEVII, Jcti summi, quem habuit quondam S. R. Mtes SVECIAE Consiliar. intimû, summum Tribunal Wismariense Vice-Præsidentem eminentissimum, **Brönnichow / Baggendorff** & Jarrentien Hæreditarium &c. nunc verò in sinu suo DEUS fovet. Atque HOC PATRE gavisa fuit Tua,  
VIR



VIR Excellentissimè, tum SPONSA, post CONJUX,  
nunc BEATA; illis Nominibus dilectissima, Conjun-  
ctissima, hoc Desideratissima. MATREM au-  
tem coluit Feminarum Nobilissimam omnibusque  
splendidissimam virtutibus, MARIAM **Putschin**. Ad-  
deò fulget prima confestim stemmatis contemplatio. Sed  
ulterius progrediendum est; sicque AVUM cernimus  
PATERNUM, Excellentissimum, Amplissimum Con-  
sultissimumque; VIRUM, DN. FRIEDERICUM MEVIUM,  
U. J. D. & Gryphicæ Academiæ Professorem Ordinari-  
um famigeratissimum, Ducalisque Consistorii Assessor-  
rem gravissimum; AVIAM PATERNAM, Matro-  
nam & pietatis & omnigeni Nitore femine laude co-  
ruscantissimam, ELISABETHAM **Kawen** / quæ ce-  
celeberrimo antè hac Theologo, DN. DAVIDI RÜN-  
GIO primis fuerat nuptiis juncta. AVUM videmus  
MATERNUM, VIRUM Nobiliss. & Excellentiss. DN.  
EMANUELEM **Putz** / Jctum Magnum & aula Frisi-  
cæ Consiliarium omni encomio dignissimum; AVI-  
AM MATERNAM, Ornamentum perinsigne Femi-  
narum, CATHARINAM **Schlütters**. En verò & in  
his fulgorem maximè conspicuum! Neque tamen  
hic quòque; integrum est, subsistere. Vocat en. PRO-  
AVUS primus PATERNUS, VIR Nobiliss. Amplissimus  
atque Consultissimus DN. THOMAS MEVIUS, U. J.  
D. & Acad. Gryphicæ Professor Primarius, Serenissimo  
tumque Meclenburgi & Pomeraniæ DUCUM Consilia-  
rius, quin & Consistorii Ducalis Pomeran. Director; cui  
Conjux obtigerat, sexus sui Decus & Honor, ANNA  
**Salcken** / Prognata VIRO Nobilissimo, Amplissimo  
atque Excellentiss. DN. JOHANNE **Salcken** / Cancel-  
lar, olim Pomeran. Magnif. FUNCTÆ Nostræ ABAVO,  
quem

quem Invictissimus Imperator CAROLUS V. Nobilium  
insignibus meritissimum decoravit. Vocat & alter PRO-  
AVUS PATERNUS, VIR Maximè Rever. Ampliff. & Ex-  
cellentiff. DN. BALTHASAR **Kawe** / D. & Prof. apud  
Gryphisvald. Theologus, cui thalami socia fuit Excell.  
Femina, ANNA SCHURFFIA, Excell. qvoqve Jcti DN.  
HIERONYMI **Schurffs** / qvimagno olim LUTHERO  
nostro Wormatiensibus in Comitibus fidissimè adstitit,  
ex Filia Neptis. Et vocat deniqve MATERNUS PRO-  
AVUS Primus, spectatæ fidei planeqve eximius VIR,  
isqve è primariis Antvverpiensium Negotiatorum, DN.  
JOHANNES **Puz** / quem DN. VALERII **Kuzen**  
Filia, ELISABETHA, ut Conjugem amavit longè æsti-  
matissimum: uti etiam alter PROAVUS MATERNUS,  
VIR Pl. Rever. & Ampliff. DN. M. SEVERINUS SCHLU-  
TERUS, Hamburgi ad Æd. Divi JACOBI Pastor, & Rev.  
Minist. totius SENIOR; cujus uxorem fuisse novimus  
virtute qvâ vis fulgidissimam Feminam, MARIAM **Fun-**  
**ckin** / Pl. Rever. & Clariff. VIRI, DN. DANIELIS **Fun-**  
**ken** / Pastoris in Luneburg. Ducatu vigilantissimi Filiam;  
Ut reliquis prolixè enumerandis hic supersedeamus.  
Hos enim adduxisse, hæc præclarissima nomina vel re-  
tulisse, cum ipsa etiam absqve additis elogiis sint satis  
illustra, sufficet: sufficet item, repertiisse etiam hic, qvòd  
alibi scriptum ritè positūqve extat: *Ne ullam futurâ omni-  
nò diem esse, quæ utriusq; FAMILIÆ in GENUINORUM NO-  
BILIUM ordinem, jura & Privilegia à summis pridem Im-  
peratoribus adscite, gloriam, laudem splendoremqve obli-  
terare sustineat.* Hæc de stemmate dicta sunt; cui adeo  
benignè benedixit DEUS, ut de tam Nobili Tibi,  
VIR Consultissime, CONJUGE gratulari posses. Ac  
est ratio qvoqve habenda temporis, qvò Mundum hunc

B

in-

intravit beatē **F U N C T A** ; quod & breve quidem sa-  
fatis, si totum respicias, sed eò laudabilius peractum no-  
vimus. Cœpit nimirum aurâ vitali frui Anno, qui pro-  
ximus ab eò fuit, quē fasces abs **CHRISTINA** Suecia  
Regina depositi fecere memorabilem i. e. **M D C L V**.  
nocte Pentecostali. Ut igitur fieret confestim Celsis-  
simi dulcissimiq; de Cœlo **HOSPITIS** ipsa, abs cœli quo-  
que Moderatore data, certa & grata habitatio, per a-  
quam regenerabatur & Spiritum, sicque demum verè  
vitali aurâ frui feliciter incipiebat. Agnoscis donum  
**DEI** Tui, Tuo gaudio, Tuis delitijs, cum nasceretur, mox  
destinatum, Collega Excellent. Pretiosa Tibi debebat  
esse Unio, nata **M E V I A**, quæ pretiosissima erat Deo red-  
dita in Christo per Baptismum; hinc **M A R G A R E T A E**  
pretiosum Nomen tulit. Neque verò destituit bono  
editam omne bona indoles, cujus ab ipsis incunabi-  
lis se evidentiora indies prodebant atq; clariora subin-  
de documenta. Quæ inter sensim adolevit **NOBILIS-**  
**SIMORUM PARENTUM** curâ, donec *ijs*, **DEO** sic vo-  
lente, ex hâc vitâ migrantibus, alterum **PATREM** in **J C**to  
longè Excell. **DN. CASPARO Schwarztopff** / Con-  
sule **Wismariens.** verè Consule & Syndico undiquaq; meri-  
tissimo; **MATRE** autem alterâ in Venerabili **VIRI** hujus,  
omni encomio Nostro Majoris, Conjuge, Matrona quâ-  
vis laude illustri, **BEATA** nostra merito veneraretur. Sic-  
que quod Natura dederat, largita *sanguinè & pulchritudi-*  
*nem*, id augere non impedita sed excitata potius virtus in  
Ampliss. etiâ hisce Laribus, receptaculo Nostre felicis si-  
mò, poterat, ut cum sanguinis gloriâ corporisq; decore  
**MENTIS HONOR** optimò vinculo jungeretur. Eò  
factum, ut **AMOREM** Tuum ad se traheret omnem, **V I-**  
**DUE MOETISSIME**, ut post contracta **Wismariæ An-**  
no

no LXXIX. sponsalia, Rostochii A. LXXIXd. 13. Februar.  
chalamum Tuum, Tuis gratissima amplexibus, ipsa lætis-  
sima, promtissima ingrederetur. Quæ verò tum men-  
tem Tuam distinebant cogitationes? Quæ? nisi dextræ cu-  
juslibet fortunæ prælagia Tuo animo exoptatissimè ex-  
hilarato quævis delinearentur. Et respondit spei even-  
tus per omnia. Egit MARGARETA, quod probam,  
decebat amœnissimamque Conjugem, præfuit domui,  
Tibi marito gaudium usque exitit, omnibus bonis gra-  
tum delitium. Egit & DEUS id, quod abs summo Ma-  
trimonii Autore, hujusque etiam Directore expectari  
quibat. Conspecta quater fuit benigna ejus benedictio  
deditque primum, DAVIDEM HERMANNUM, post  
MARIAM ELISABETHAM, dehinc JACOBUM EMA-  
NUELEM per Dei gratiam, utinam diu in Familiæ tri-  
stissimæ solatium, adhuc Inperfites; denique ANNAM,  
mox, postquam Christo viri per Baptismum inserta,  
sicque renata esset, denatam. Utinam verò diutius  
durasset hoc jucundissimum fœdus; Utinam restitui po-  
tuisset ipsa Mater; si tandem FILIOLÆ concedendus tran-  
quillò animo erat discessus! At enim DEO visum fu-  
it, TE, MARITE Optime, opinione omni citius in con-  
siderationem Diei, TUÆ emortalis, nunc perducere.  
Rosa erat non absimilis Nostra MEVIA, LEMBKENIA,  
rubicunda quippe, solida, succi plena & valetudinis præ-  
terea integræ ac firmæ; sed (ut habet infelicis illius ama-  
ssii apud Theopritum querela, de rosa è vestigiò tabe-  
scente,) de NOSTRA dicendum nunc est, in optimo &  
ætatis & fortunæ flore ipsam defloruisse. Vix enim  
Iltiâ Mensis hujus die, sacrâ Synaxi in æde sacrâ, sum-  
ma cum devotione, ut solebat semper, usa fuit, cum  
subsequenti IVrâ die sub vesperam malè habere incipe-  
ret. Vitâ tamen Filiolam enixa est, sed uti memora-  
Ba cum jam

tum jamjam, non diu vitalem. Et proh! IXnā. post 9. ma-  
tutin. hor. spiritū & Ipsa comendavit ei, abs qvō accepit,  
vitamq; beatissimè finiit. Qvō morbi genere tantoperè  
prostratæ tantæ vires sunt, edisserit clarius VIR Nobi-  
lissimus atqve Experientissimus DN. D. BERNHARDUS  
BARNSTORFFIUS, Practicus apud Nos felicissimus lau-  
datisissimusqve, Fautor & Amicus Noster æstumatissimus,  
qvi cum Collega Nostro ac Fautore itidem & Amico ho-  
noratissimo DN. D. JOH. BACMEISTERO, Prof. Publ.  
& Facultat. Med. Gratiōss. SENIORE &c. Aegræ adfuit;  
qvi etiam utriqve nihil intermiscere eorum, qvæ malo  
vehementiori depellendo adhiberi unqvam posse vide-  
bantur. Sed audiamus illum loquentem:

*Defluxiones humorum acriorum à Capite ad  
Artus, brachium scil. dextrum & pedem sini-  
strum, nec non ad infimam abdominis partem,  
sensibiliter delabentes, ibidemqve dolores intensis-  
simos ac sævissimos excitantes, in causa fuerunt,  
qvod Beata Nostra in Domino defuncta, ante  
legitimum à natura constitutum pariendi tempus,  
Filiolam satis elegantem, omnino tamen debilem,  
nec diu post acceptum sacrum Lavacrum supersti-  
tem, in lucem ediderit. Quemadmodum verò  
in ejusmodi puerperiis plura solent mulieribus ac-  
cidere incommoda; ita etiam piissime Functæ nostra  
ab iisdem non fuit libera. Suppressus quippe  
lochiorum fluxus, secundinarumqve retentio va-  
ria induxit symptomata: febrem puta continu-  
am, sitim, suffocationes uterinas, anxietates pra-  
cordio.*

cordiorum, respirationem difficilem, dolorem ca-  
pitis intolerabilem, paralyſin brachii dextri, & pe-  
dis ſiniſtri: quibus omnibus ultimo ſe ſe adjuvaxerunt inſi illuſ epileptici, cum tremore totiuſ capitiſ, ſtertore oriſ ac motibus convulſivis artuum. Quæ Symptomata omnia tanta cum vehementia Noſtram excruciarunt, ut ſublatis tandem viribus, & medicamentiſ ex Arte licet à Nobiliſſ. & Excell. DN. D. BACMEISTERO Prof. longe Celeberrimo & me præſcriptiſ, nec quicquam juvantibus, die 9. Februarii cum maximo ſuorum dolore, mortalitatiſ ſuæ terminoſ complere coacta fuerit.

Hæc ille. Ita verò eſt, complevit mortalitatiſ ſuæ terminoſ, immortalis nunc facta; ſuperavit VÆ omne, cui æternum nunc BENE eſt. Sed TE quam video concuſſum, Mœſtiſſime VIDUE, perturbatumque; Tua facere Auguſtini illa, Amicum optimum lugentiſ, quid obſtat, quin poſſim; Miror, ceteroſ mortaleſ vivere, quia illa, quam quaſi non morituram dilexeram, mortua eſt, & me magiſ, quia illi alter eram, vivere illa miror. ſenſi animam meam & animam illiuſ, unam fuiſſe animam in duobuſ corporibuſ, & ideò mihi horroreſ eſt vita, quia nolo dimidiuſ vivere. Neque in vitium quuſ vertet luſtum Tuum, ſed temperatum tamen. Cogitabiſ, quotieſ in memoriã redibit Tuã emortualis TUÆ dieſ, reddendum DEO fuiſſe, quod DEI erat! DEO, potenti ruruſ, ut Bernharduſ ſerm. 3. de ſept. fragm. loquitur, in redditiõne. Iniquuſ eſſem, inquit (ad plico Seneca illa Chriſtiane magiſ & pie qua lib. de Conſo-

*lat. ad Polyb. c. 29. habet*), si muneris divini arbitrium danti DEO non relinquerem; avidus forem, si non lucri loco haberem, quod accepi, sed damni, quod reddidi. Ingratus vocari possem, si injuriam vocarem finem voluptatis; emoræ mentis homo, si nullum fructum putarem bonum nisi præsentium, si non in præteritis acquiescerem, & ea certiora prædicarem, quæ abierunt, quia de illis ne desinant timendum non est. Quod ergo habuerim bonam uxorem, in summis bonis pono. Non est quod cogitem, quanto diutius habere potuerim, sed quamdiu habuerim. DEUS illam mihi non mancipio dedit, sed commodavit; cum visum est deinde, repetiit, nec meam in eò satietatem secutus est, sed suam legem. Gaudeo itaque habuisse me tam bonam uxorem & usum fructum ejus, quamvis brevior voto meo fuerit, boni consulo. *Malus judico* (uti non malè Epictetus pergit) *illud, quod DEUS vult, quam quod ego: Adhæreo illi, ut Minister & pedissequus, cum illo desiderio, cum illo expeto: denique quod ille vult idem & ipse volo.* O det! det, qui Dator est Bonorum omnium promptissimus, ut tam pacate Tecum, Collega honoratissime, Cognati Agnatiq; omnes, quos Mors hæc insperata cruciat, hanc meditari diem possint, quæ seculum illud adiit BEATISSIMA, in quo omnis annorum cessat numerus, nilq; est, nisi FELIX CONSTANTIA. Restat Exæqualis dies; quæ varia se obferunt, quæ ORBATO UXORE MARITO venire in mentem valent. Audit bonū inter omnes elogium, & si unquam, certe de FUNCTA Nostra verissimum. Semper amavit Deum abs Deo amata semper. Nil terras morata, celestibus usque delectata fuit. De prædicant Tempora devotionem, evehunt miseri auxilium, extollunt singuli benevolentiam, Nemo est, qui non laudet, qui non bona quævis de

LEMBKE

LEMBKENIA hâc die jure meritoq; pronunciet. Dar-  
• exemplar Sincerissimi amoris Conjugalis potest; docere;  
item qvi viderunt, omnes, quanto animo dolores & mor-  
tem ipsam y superent, quorum mentem frequens mor-  
tis, anteqvam fores pulset, consideratio distinet. Verbo;  
digna quoqve LEMBKENIÆ VIRTUS EST (italiceat  
Gramondi illa p. 142. imitari), QVAM POSTERI-  
TAS SCIAT. Nec ignorabit posteritas, si unicâ vo-  
ce omnia laudum capita complexus, dixerit: *MENTEM  
IPSIUS NIL MORTALE UNQVAM OPTASSE*. Unde jam  
particeps ejus facta, quod præoptavit quoad vixit, atqve  
id, alterum est, quo hâc die exequiarum TRISTISSIMUS  
MARITUS excitari solet. Vivit in sinu Abrahæ *DUL-  
CIS CONJUX*, ubi certa est securitas, secûra tranqvil-  
litas, beata æternitas, æterna beatitas. Nam (refero;  
qvæ in Thesaur Inscr. p. 132. leguntur.)

Cara Viro atq; Deo, rivali à Numine rapta;

Vivet, adhuc vivo Conjuge, Cara Deo.

Et quis omnia distinctim enumerando profari audeat,  
qvæ in solatium hi ponderati hactenus *DIES* copiose  
suppeditant? Erigent dicta *TRISTES ANIMOS*, coeloqve  
dari, qvæ dempta sunt Orbi, satis ostendent. Unicum su-  
pereest, quod abs *VOBIS, CIVES* honoratissimi, nobiscum  
expetit atq; expectat merito, Mœstissimus *VIDUUS*, ut  
Ipsam hanc, qvæ ultima est super terras *LEMBKENIÆ U-  
TRIUSQVE & MATRIS & FILIOLÆ*, Exequiarum Diem fre-  
quenti decorare comitatu propensius velit. Dicerô  
vix satis qvimus, qvâ leniturum sit *tristitiam*, si non os-  
tinnem, certe haud exiguam parrem, hoc *opina fides* pu-  
blicum ac solenne testimonium. Funus Magnum est,  
Magno adeste agmine: Exequiæ *NON UNI* saltim sed  
*DUABUS* paratæ sunt, facite, ut ex conventu splendidi-  
ori, *geminum omnibus luctum demonstramus*, Postu-  
lat



Latid Pietas; requirit Familiæ splendor; volunt MOE-  
STISSIMI VIDUI merita; qui & unicuique Vestrûm re-  
ciproca, utinam verò lætiora inter fata, ipsâ lubentia  
lubentius præstabit. P. P. d. 16. Febr. quâ dormitorio  
inferebantur LEMBKENIÆ. A. MDCLXXXIV.

Sub Sigillò Rectorat.

Conveniemus in Marian. Æde hor. i.

Sed detur residuum spatiolum monumento LEMBKENI-  
ANO, quod inter concatenatissimos labores stylo Nobiliss. KIR-  
STENII nobiliss. exprimere impræsentiarum libuit.

*Legite amici, pauca sunt.*

MARGARETA

Magnif. MEVII & Nobiliss. PUTZSCHLÆ. F.

Excellentiss. LEMBKENII uxor dulcissima.

Nata A. C. cld lde LV. Pentecostali nocte

Nupta ann. LXXIX. XIII. Febr.

Filiorum duorum Mater, duarumque Filiarum,  
Sed quarû ultimã, nõ, nisi per duas forte horas superstitẽ habuit  
Vebementi hinc morbo attrita placidiss. & qs. aliud agens  
A. LXXXIV. d. IX. Febr. post. nonam matut.

Et sic tertiã à partu die expiravit,

Compositaque est in D. Maria.

FAMILIÆ MARITIQ; NOBILIS splendores

Illustriores sua virtute reddidit, Amores Conjugales

Svavissimis Moribus gratiores.

Non tam elogij monumentive, quàm officij specimen hoc esto.

Amici,

Colligite Nobiscum atque effcite,

Vestra Pietate, & Sanctiore solertiã

Ex his paucis multa,

Ex parvis magna,

Ex caducis æterna.

SS(O)SS

no quis nostrum neget? Tu perpetuo  
GIS, TUÆ FILIOLÆ, desiderio nunc  
vivas; id certè Cor non tantum Tuum se  
omnium pectora ferit & angit quàm ma  
tamen desunt, quæ Tuo vulnere  
nos suppeditare medicamina docet.  
nere GEIERIÆ, PRIMÆ Consummatissi  
rer Theologi, nunc Beatissimi, GEIERI UX  
*Lipif.*) abs Celeberrimo non minus, ac jam  
nos etiam *ex a. y. in.* Theologo, CARPZO  
concionis funebri factam fuisse (*videat  
cu(a)*) IDEAM MARITI UXORE ORBAT  
diem Nuptiarum, ad diem mortis & ad  
LUGENTEM VIDUUM ablegari, oble  
eadem nunc mihi vestigia premere; quò  
in Domino FUNCTÆ delineare & ex  
tium cedant, excerpere commodius pos  
proinde & TE, VIR Consultissime No  
Jcte & Antecessor Inclute, Collega hon  
te omnia ad DIEM Nuptiarum, inque eã  
per singulare DEI beneficium, MEVIAM  
toque. sic verò de stemmate primum erin  
quò elegantissime non ita pridem script  
*decus ejus mansurumque esse in animis hom  
nitate temporum, fava à rerum.* Ut igit  
amur, quibus hanc lucem ipsa debet, il  
est, ac undiquaque celebratissimum Ge  
gnifici VIRI, DN. DAVIDIS MEVII, Jcti  
habuit quondam S. R. Mtas SVECIAE Con  
summum Tribunal Wisnariense Vice-P  
nentissimum, **Brönnichow** /  
& **Zarrentien** Hereditarium &c. nunc ve  
DEUS fovet. Atque HOC PATRE gavi

